

*Acta omnium gentium ac nationum conventus sexti Latinis litteris linguaeque fovendis a die V ad X mensis Augusti anno MCMLXXXV Dunelmi habiti. Britannia Latina, ediderunt Osvaldus Dilke et Gavinus Townend. Ex aedibus Titi Wilson, Kendaliae 1986. 195 p.*

Conventus latinistarum internationales hucusque facti sunt sexies, scilicet Romae anno 1966, Bucurestii 1970, in insula Melita 1973, in urbe Dacaria Senegaliae 1977, Augustae Treverorum 1981, denique quinque annis post Dunelmi Anglorum. Qui omnes habiti sunt auspiciis Academiae Latinitati inter omnes gentes fovendae. Proximus eiusdem generis internationalis conventus habebitur, ut iam nuntiatum est, anno 1989 Erfordiae Thuringorum, ubi disputabitur de studiis classicis, quae a Petrarca usque ad Melanchtonem in Europa floruerunt.

Dunelmensis conventus maxime spectabat ad Britanniam, ut par erat, et maxima ex orationibus habitis pars sive auctores antiquos et mediaevales, qui de Britannia scripserunt (Cicero, Caesar, Tacitus aliique), sive Britannicae originis latinistas celebriores (e.g. Bedam Venerabilem, Willelmum Malmesberiensem, Alcuinum) tractavit. Omnino habitae sunt orationes maiores minoresve numero undetriginta, quarum textus una cum conventus verbis inauguralibus valedictoribusque his in actis sunt editi.

Praeter res Britannicas, tractabantur in conventu etiam novae rationes linguam Latinam docendi. Iustissimo iure quaerit Lambertus Pigni (p. 173): "Quomodo fit, ut qui exercemur in linguis peregrinis usitandis, idem non facimus, cum de lingua Latina agatur?". Eundem vivum Latinitatis usum commendat Caelestis Eichenseer, cum in oratione valedictoria dicit: "si vobis contingit, ut interdum tres, quinque, quindecim minutas Latinas, prorsus Latinas, inseratis, certe discipuli vestri vobis non irascentur, sed fortasse manus et oculos vestros osculabuntur" (p. 183). Quae verba eo maioris sunt momenti, quod bene scimus plurimos esse linguae Latinae magistros et professores, qui potius ultimum quoque discipulum amittant quam semel suos discipulos Latine doceant. In conventu Dunelmensi, teste Caelesti Eichenseer, omnes disputationes praeter unam Latine peragebantur. Acta eius utile sunt instrumentum omnibus, qui Britanniae Latinae studiis occupantur. Stilus operis est quam maxime Latinus.

*Tuomo Pekkanen*